







P 551

ACADEMIAE FRIDERICIANAE PRORECTOR  
IO. AVGUSTVS EBERHARD


PHILOSOPHIAE PROFESSOR PUBL. ORDINARIUS

ET

SOCIETATI REGIAE BEROLINENSI LITERARIAE ADSCRIPTVS  
CVM CANCELLARIO, DIRECTORE  
ET SENATV ACADEMIAE  
SANCTE CELEBRANDAM INDICIT  
MEMORIAM ADVENTVS CHRISTI IN TERRARVM ORB

PRAEMISSA EST  
COMMENTATIO  
IN ILLVD PAVLLI COL. I, 19 ET II,  
ΤΟ ΠΛΗΡΩΜΑ ΤΗΣ ΘΕΟΤΗΤΟΣ ΚΑΤΟΙΚΗΣΑΙ  
ΕΝ ΧΡΙΣΤΩΙ ΣΩΜΑΤΙΚΩΣ.

HALAE,  
FORMIS IO. CHR. HENDELII  
A. M D C C L X X X V I .



THEATRUM  
MUSICO-PHYSICO-MATHEMATICUM  
SIVE  
MUSICO-PHYSICO-MATHEMATICAE  
ARTES  
COMBINATÆ  
VITÆ  
ACADEMIAE  
PRO MUSICO-PHYSICO-MATHEMATICIS  
ARTIBVS  
COPPIÆ  
ET  
LAZAROTÆ  
SCENICÆ  
SCHOLÆ  
OR  
SOMNATORIÆ  
LITERÆ  
ET  
SALMÆ  
MODULÆ  
IN  
MUSICO-PHYSICO-MATHEMATICIS  
ARTIBVS





**E**t si non omnino iniquae sunt querelae de obscuritate sa-  
crarum Scripturarum, nec eius vniqa cauſa quaerenda est in  
obscuritate rerum gestarum veterumque morum et institutorum,  
e quibus multa habent adisperfa, quorum quidem memoriam  
tempus deleuit iisque caliginem obduxit, sed in ipso etiam scri-  
bendi modo, quo sacri Scriptores vbi sunt etiam tum, cum diu-  
niam doctrinam tradarent: tamen, vel in hac maxime doctrinali  
parte librorum diuinorum agnoscendum est et grata mente vſur-  
pandum studium Apostolorum, qui, cum in tradendis nouis  
rebus nouis quoque verbis vti cogerentur, ita omnem orationem  
temperant ac moderantur, vt et analogiam linguae teneant  
quantum possint eique loquendi insolentiam accommodent, et  
sententiarum vim vel ipsi declarent statim verbis aut rebus, vel  
aliis in locis, atque per vniuersam doctrinae summam lumen  
obscurioribus affundant. Vnde fit, vt, si quaeratur de sensu eo-  
rum quae sunt noue ab Apostolis dicta, eius assequendi duplex  
omnino via pateat. Vna est, qua ineſigemus confuetudinem  
loquendi regnante in lingua ea qua vbi sunt Scriptores sacri,  
non modo graeca vniuersa, sed multo magis etiam conformata  
modo loquendi Ebraicae proprio, vnde magnam partem dictio-  
nis Nouo Testamento propriae ductam in primisque in doctrina  
tradenda frequentatam esse constat. Quae quidem via non ha-  
bet hanc vim, vt aditum statim faciat ad veram sententiam; ni-  
hil enim docet, nisi quae possit sententia esse, non quae vere *fit*,  
et in iis, quae tamquam noue dicta sumuntur, semper ad lo-  
quendi confuetudinem additur aliquid ab ingenio scriptoris, siue  
nova nouarum rerum nomina faciat ad similitudinem eorum qui-



bus iam vtitur consuetudo, sive visitatis nouam quandam vim tribuat. Sed admonet tamen haec via, quam tenemus, ne incidamus in sensum, quem omnis loquendi usus repudiet; nullus est enim scriptor, qui vult intelligi, tam stultus, quin, etiam quae inaudita loquatur, accommodet ad ea quae sunt usu loquendi trita; et, nisi ipse scriptor quandam mentis suae significacionem vel in ipso, de quo quaeritur, loco, vel alibi dederit, hac una via, vel diuinando ad sensum maxime probabilem ducimur. Fit autem interdum, ut nos loquendi usus deficiat aut videatur deferere, omninoque, cum quaedam in interpretando diuersitas existit ac plures interpretationes non abhorrent a loquendi consuetudine, ea sit illarum comparatio instituenda, quae ad unicum in aliquo loco sensum deducat. Et, quoniam in noue dictis, a scriptoris consilio, vti diximus, accedit aliquid ad visitatum loquendi usum, quo is vel amplificetur vel contrahatur: necesse est profecto tenere, vitram in partem haec variatio inducta, et quomodo usus loquendi regnans in illo verbo usurpando, hoc ipso scriptoris arbitrio affectus et conuersus fuerit. Quam ob rem altera via quaerenda et cum illo superiori coniungenda est, qua ipso a scriptore ducti, eiusque veluti vestigiis orationi impressis persequendis, ad veram dictorum intelligentiam contendamus.

Hanc igitur vitramque sequamur in quaerendo sensu locorum Pauli in epistola ad Colosenses cap. I, 19 et c. II, 9, vbi profitetur, in Christo κατοικησαι πάν τὸ πλήνωμα τῆς Θεότητος σωματιῶς; qui nobis in mentem venerunt, cogitatione agitantibus beneficia nobis a Deo concessa per aduentum Iesu Christi in terrarum orbe cuius memoriam Christiani hoc tempore celebrare solent. Neque enim dubitari potest, vitrumque locum eandem sententiam complecti, cum idem sit in vitroque consilium Apostoli, quod est in asserendo principatu Christi, qui omnibus superior atque uice sequendus sit, verba etiam paene eadem, nisi quod paulisperdiscrepet dicendi forma et accessione quadam ad communem sententiam, qua haec definitur quodammodo, non immutetur. Placet autem in principio disputationis nostrae seiungere enarrationem variarum opinionum de huius loci sensu, quae quid existimat sit, docet, non quod debuerit existimari, nec dicit ad plenam sensus intelligentiam, sed saepe

v

saepe transuersos agit interpretes, ut, ubi commodus sensus ob-  
latus sit, in primis is qui videatur dogmatibus confirmandis fer-  
uire, ne requiratur quidem alias aequa probabilis, saepe etiam  
probabilior sensus, propter ea quod nondum quisquam obser-  
uando in eum incidisset. Quae consuetudo, fons est multorum  
errorum et caussa, cur in iis, quae inuenta sunt, haereatur, et  
impediatur ultra progrediendi studium. Faciamus igitur, quod  
ii solent, qui exstare quidem audiuerint terram quandam eamque  
dignam quae omni studio requiratur, sed quae ita procul sit a  
cognitione cuiusque ut, qualis sit, quaeque ad eam attingendam  
via detur, nunc primum reperiri debeat, et ipsi tentemus, quo  
modo propria diligentia ad eam cognoscendam deferamur. In  
quo speramus fore, ut literarum sacrarum studiosi, quibus haec  
maxime scribimus, habeant exemplum rectae viae ac rationis  
qua, curiosa locorum difficiliorum inuestigatione, accedere ad  
verum eorum sensum ipsis possint.

Enimuero, ut primum intelligatur, quis sensus loci, de  
quo quaerimus, aut quotuplex esse possit, videndum est de  
singulorum verborum vi, quatenus quidem hic venire in que-  
stionem videtur. Ac verbum πληρόω, quod originem τῷ πλή-  
ρους dedit, proprie vim habet replendi ac de vasis dicitur omni-  
noque omni re quae aliquid caput aut continet. Vnde in libris  
facris notionem in primis accipit habitandi aut possident, quoniam,  
qui incolunt aliquem locum, eum replere, et, qui possident,  
repleti aliqua re, nec vtrique tum vacui esse videntur; ut  
in illo Gen. I, 28 *replete et subigit terram* dicitur pro: incolite la-  
borandoque in vsus vestros conuertite, aut Deus coelum atque  
terram replere Ierem. XXIII, 24. h. e. ibi habitare omnique loco  
praesentem esse. Simili translatione πεπληρωμένοι dicuntur ii,  
qui edocti sunt aliquid doctrinaque imbuti, plane ut Latinis im-  
buta dicuntur vtroque sensu, proprie quidem vala et testae,  
quae, ut ait HORATIVS, *imbutae semel odorem servant*, trans-  
late hi, qui literis aut quacunque institutione imbuti reperiantur;  
ut Rom XV, 19. Col. I, 9 et alibi. (V. VITRINGAE Obsf S. S.  
lib. I. c. V. §. 3.) Eadem vis verbi cadit in verbum πληρώματος,  
quamquam id actiue et passiue accipitur h. e de iis quae implent,  
nant, docent, aut quae capiunt aliquid, possident, eoque or-  
nati


nati sunt vel imbuti. Quare de copia quacunque si quis vocabulum in SS. Scripturis usurpatum aut idem esse velit ac πλήθος, vt Ioh. I, 16 et Rom. XI, 25 et 12, non est cur admodum intercedamus; quamquam in loco Ioannis pro thesauro potius videatur, vt non tam vim habeat copiae aut multitudinis, quam facultatis aliis tribuendi quod ipse possideas, in utroque autem Paulli loco, pro eo quod vacuitatem replete et instar supplementi sit. Nam πληρωμα τῶν ἐθνῶν gentes videntur esse substitutae in locum Iudeorum, qui Christi doctrinam repudiascent, (vide v. 11. 17, 19.) et πληρωμα Rom. XI, 12. quod cum πτηνάστι, tamquam cum contrario, componitur, non tam copiae exprimendae vim habet quam accessionis cuiusdam et incrementi verae Ecclesiae, quo farciatur quasi et expleatur diminutio (πτηνός) facta eo, quod tot Iudei contemnendo Euangelio a fide in Deum defecissent.

Sed tralaticia haec quidem sunt; dirigent tamen animum ad videndum, quam varius possit esse huius loci sensus; quod statim post intelligetur, quam dixerimus de vocabulo θεότητος quod est adiectum πληρώματι in loco Col. II, 9. Neque vero necesse est, hunc genitium intelligi de ipsa natura Dei, tamquam de eo quod habitat in aliquo, sed de illo etiam quod sit a Deo profectum, ab eoque originem ducat, vt ἔγενον τῷ Θεῷ Ioh. VI, 29 non est quod a Deo factum sit, sed quod is fieri velit, ἔγενον τῷ νέῳ Rom. II, 15 quod lex iubeat, in primisque in ipso capite, quod tractamus, v. 19 αὐξησίς τῷ Θεῷ, non ipius Dei incrementum, sed nostrum, quod et quatenus a Deo proficiscitur. Istud autem sensu vere in loco nostro esse, vele loco simili cognosci potest. Namque ibi πλήρωμα est τῷ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρωμένῳ, eius, qui omnes (Christianos) omnibus (donis) replet, vt, dubitari vix possit, in genitivo θεότητος esse significationem eius, a quo tamquam auctore τῷ πλήρωμα exstiterit.

Secundum haec, quae diximus, et quoniam τῷ πλήρωμα vel actiu[m] potest vel passiu[m] accipi, ad dupl[icem] vel potius triplicem sententiam deferimur, quae possit esse in verbis. Primum enim, si actiu[m] sumas significationem τῷ πληρώματος h. e. si interpreteris de eo quod resideat vel habitat in aliquo, idque quasi replete: vel de natura Dei intelligatur aut proprietatibus diui-

diuinis, vt sensus sit, in Christo resedisse vniuersam naturam Dei, neque ei quidquam, quod Dei est, defuisse, vel de donibus, quas ei Deus concesserit in primis que de cognitione Dei quam tradere hominibus, doctrina caelesti, qua viam monstrare ad veram animi salutem daberet. Deinde, si passuum τῷ πληρώματι vim subieceris, Ecclesia poterit esse, omnesque ad unum ii, qui repleti sunt sive imbuti illa caelesti doctrina; fere quem ad modum Ephes. IV, 16 Paullus dicit a Christo vniuersum corpus Christianorum, coniunctum et coagmentatum per omnes iuncturas, per quas una pars alteri vim sufficiat, et pro modo cuiusque partis, incrementa capere.

Iam videamus, dederitne Paullus vel hic vel aliis in locis similibus significationem aliquam, quae ducat ad veram sententiam, atque ostendat, quaenam sit alteri praferenda. Nobis quidem vniuersum locum uno tenore legentibus statim succurrit id, quod verba Col. II, 9, ἐν Χριστῷ κατοκεί πᾶν τὸ ΠΛΗΡΩΜΑ τῆς Θεότητος, vna continuatione persequatur his v. 10: καὶ ἔσται ἐν αὐτῷ ΠΙΕΠΛΗΡΩΜΕΝΟΙ, ὡς ἔστιν ἡ κεφαλὴ πάστορος ἀρχῆς καὶ ἔξοδος. Quae alteram probant aut tertiam interpretationem, non primam, per quam πλήρωμα esset ad diuina Christi attributa referendum. Quodsi enim τὸ πλήρωμα τῇ Χριστῷ accipendum est secundum id quo Christiani πεπληρωμένοι dicuntur: non isti profecto induerant ipsam eamque vniuersam Numinis naturam, sed imbuti erant vera intelligentia Dei voluntatisque diuinae, vt Christus haec tenus esset h.e. per doctrinam quasi caput corporis, quod magis deberent sequi quam quemque alium ducem (πάστορος ἀρχῆς καὶ ἔξοδος). Quae verba haud dubie remittunt lectores ad ea quae Paullus dixerat v. 8: Cauete, ne quis vos auferat per philosophiam hoc est erroris vanitatem, secundum (scilicet qua sequimur) hominum traditionem profanitatemque, quae umbris scilicet imaginibus continetur, non secundum Christum. Vbi perspicuum est, nos Christum ducem sequi debere, in eo enim, inquit Paullus, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος κατοκεῖ; itemque aperitur, τὸ πλήρωμα ἐν Χριστῷ esse παράδοσην, traditionem scilicet doctrinam, non humanam (v. 8), sed diuinam (τῆς Θεότητος v. 9). A quibus verbis certe alteram, quam afferebamus, sententiam, quae τὸ πλήρωμα putabat doctrinam.



*doctrinam esse, maximam prae ceteris commendationem habere intelligitur.*

Quodsi porro vltra persequamur orationem Paulli, et ad eam quidem delabamur, quae antecedit vniuersam admonitionem de cauendis ducibus peruerſis v. 4 seq. quid, si fententiarum similitudo quaeratur, similius potest esse verbis nostris quam quod est vers. 3: *Ἐν Χριστῷ ἐστι πάντες ΘΗΣΑΥΡΟΙ ΤΗΣ ΣΟΦΙΑΣ ΚΑΙ ΓΝΩΣΕΩΣ ἀπόκεντοι?* Planissime enim *ἀπίσχυφοι* εἰσι et *κατανῆσται*, eadem sunt, *thesauri sapientiae et intelligentiae, τω πλήρωματι* respondent.

Nulli autem dubitationi locus relinquitur, si quidem quis contulerit clarissima dicta cap. IV, 12 et c. I, 9. Namque, quod est in loco nostro v. 10: *ἐστι πεπληρωμένοι ἐν αὐτῷ* hoc est *Χριστός*, siue, quod fere magis placet, *πληρώματι τῆς Θεότητος*. id redditur in illo loco c. IV: *πεπληρωμένοι ἐν ΠΑΝΤΙ ΘΕΛΗΜΑΤΙ ΤΟΥ ΘΕΟΥ*, in altero loco c. I. *πεπληρωμένοι ΤΗΝ ΕΠΙΓΝΩΣΙΝ ΤΟΥ ΘΕΛΗΜΑΤΟΣ αὐτῆς, ἐν ΠΑΣΗΙ ΣΟΦΙΑ ΚΑΙ ΣΥΝΕΣΕΙ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΗΙ.* Tenemus igitur, *πᾶν τὸ πλήρωμα τ. Θεοτ.* nihil esse aliud quam *omnem Dei voluntatem, ac potius eius cognitionem quae omni sapientia intelligentiaque spirituali continetur.*

Hic, quemadmodum substitutis in locum obscuriorum clarioribus verbis declarat Paullus verborum, quae in quaestione sunt, sensum: sic in epistola Ephesiis scripta, quam omnes nostrae simillimam profitentur, vtitur ipsis adeo, de quibus quaeritur; de quorum vi dicemus pauca, vt, hac agnita in illo loco, edit in nostro pariter agnoscatur. Nempe Eph. III, 19 vult eadem in nostro pariter agnoscatur. Nempe Eph. III, 19 vult illos *πληρωθεῖσας ΕΙΣ ΠΑΝ ΤΟ ΠΛΗΡΩΜΑ ΤΟΥ ΘΕΟΥ*, quae possunt dupliciter intelligi. Primum sic, vt *πληρωθεῖσας* sit ipsa Ecclesia, quae donorum Dei esset plena, quo quidem sensu diceba-

\*) Sunt, qui *ἐν ω̄* v. 3. non ad Christum referant, sed ad μυστήριον, quibus nullo modo repugnamus, praesertim, cum c. I, 27 hoc ipsum μυστήριον Christus appelletur inter gentes nunciatus. Vel in ipso loco v. 8 et 9 Christus hoc potest sensu esse, vt doctrina Christi vniuersam Dei voluntatem complecti dicatur. Nihil quidquam, si hoc admissum fuerit, de vi argumenti, quo vi sumus, detrahitur,

cebatur cap. I, 24, possetque vniuersa formula eodem sensu esse quo alia cap. II, 21 αὐξῆται εἰς νέον ἄγον aut cap. IV, κατατίθεσαι εἰς ἀνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τῷ ΠΛΗΡΩΜΑΤΟΣ. Nec tamen abhorret, εἰς τὸ πλήρωμα τῷ Θεῷ accipere pro ἐν τῷ πλ. τ. Θ., ut Col. I, 9 πληρώθει τὴν ἐπιγνώσιν pro ἐν τῷ ἐπιγνώσει et v. 10 αὐξάνει. Οὐαὶ εἰς τὴν ἐπ. τ. Θεῷ, vt πᾶν τὸ πλήρωμα interpretari de donis vniuersis, in primisque de intelligentia voluntatis diuinæ quae nobis a Deo concessa sit per doctrinam Christianam. In qua sententiarum diuersitate si decernendum sit vtra sit probabilior? magis inclinat animus in hanc partem. Nam primum, si de Ecclesia interpretari quis velit, quo modo ΠΑΝ τὸ πλήρωμα interpretabitur? Neque enim πᾶν τ. πλ. potest esse de tota iudee vniuersa Ecclesia, quod ne intelligi quidem potest. Quod si vero per dicta quae his similia videantur, de perfecta deberet Ecclesia intelligi, aut, quod nuper doctissimo viro vilum est, verti hoc modo: *receptis estis in vniuersum hoc regnum diuum* (ihr sollt aufgenommen werden in sein allgemeines goettliches Reich): quomodo hoc decebitur in verbis? Porro in loco simili cap. IV, 10, vbi pariter amor Christi in nos, vt in contextu nostri, celebratur, Christus dicitur πληρῶσαι τὰ πάντα. Atqui hanc formulum Paulus haud dubie substituit pro illa altera v. 8. ἔδοκε ΔΟΜΑΤΑ τοῖς αὐθιδούσιοι et v. 7. cuilibet datum est beneficium (χάρις) κατὰ τὸ μέτρον τῆς ΔΩΡΕΑΣ ΤΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ, pro modo doni quod Christus tribuit, idque ipsum beneficium (χάρις) cap. I, 8 nobis copiose concessum dicitur EN ΠΑΣΗΙ ΣΟΦΙΑΙ ΚΑΙ ΦΡΟΝΗΣΕΙ. Denique, vt in loco Eph. IV, 19 Deum rogauerat: οὐ πληρώθητε εἰς ΠΑΝ ΤΟ ΠΛΗΡ. sic planissime in loco Col. I, 19, quem iam commemoravimus, habet: οὐ πληρ. ΤΗΝ ΕΠΙΓΝΩΣΙΝ ΤΟΥ ΘΕΛΗΜΑΤΟΣ ΑΥΤΟΥ ΕΝ ΠΑΣΗΙ ΣΟΦΙΑΙ ΚΑΙ ΣΥΝΕΣΕΙ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΗΙ. Itaque in hoc quoque loco ad Ephesios, qui est nostro in verbis quidem paene par, neque de virtutibus Dei cogitauit Apostolus, neque istam Ecclesiam verbo πληρώματος complectitur, sed de iis dixit, quae Christianis tributa sint, de vera, qua sint imbuti, sapientia, quam et in loco, quem praecipue tractamus, propter vtriusque in verbis sententiisque similitudinem oportet intelligi.

Est tamen hic ipse loquendi modus non vni Paullo proprius, sed is ei communis cum Ioanne, qui eodem, in simili contextu quoque, vocabulo, aut simili verbo vitur. Quid est enim illud πλήρωμα, e quo Ioannes cap. I. Euangelii v. 16. *αἱ̄της οὐκεῖτε*, quam beneficiorum, in primis que verae doctrinae, veluti thesaurus, e quo omnia nostra de promisimus? Πλήρωμα quidem in eo loco perspicue refertur ad Christum, qui ΠΛΗΡΗΣ dicebatur ΧΑΡΙΤΟΣ ΚΑΙ ΑΛΗΘΕΙΑΣ v. 14. Enim uero v. 17. *χάρις καὶ αλήθεια, quae nobis per Iesum Christum contigit*, opponitur legi a Moysi profectae, in qua magnum Israelite beneficium acceperant, digni etiam propter ea habiti, qui filiorum Dei nomine maestarentur. Sed longe excellentius collatum erat in Christi discipulos, quod hac de causa χάρις καὶ αλήθεια h. e. *verum beneficium* et hoc nomine magis dignum dicitur, aut χάρις αὐτοῦ χάριτος, maius beneficium pro beneficio minori redditum, ut longe maiori iure filii Dei appellantur quicunque in eum credidissent v. 12. Χάρις igitur καὶ αλήθεια, cuius plenus (πλήνης) dicitur Christus, non est beniuolentia vera, quae residet in Christo, sed quae collata in Christianos est, v. 17., quem ad modum ή χάρις eodem sensu reperitur Ephes. IV, 7; nec ΠΛΗΡΩΜΑ, quae Christo tribuitur, aliud potest esse, quam id, e quo veram doctrinam hauserint, thesaurus ille plenus diuinæ sapientiae, tamquam verissimi beneficii, quod nobis attulit Christus dum Deum nobis cognoscendum dedit v. 18. Nec ΠΑΝ τὸ πλήρωμα, quod est in locis ad Colossenses, desideratur apud Ioannem, eadem quidem de re aliis verbis loquitur cap. IV, 24: *Quem misit Deus, is docet doctrinas Dei, οὗτος εἰ μέτρον δίδωσιν ἐπειδὴς τὸ πίνευμα.* neque enim Deus cum aliquo modo dedit Spiritum. Πνεῦμα ibi de intelligentia voluntatis diuinæ esse qua Christus ornatus esset, dubitari propter ea non potest, quod hic substituatur pro ἔμματι Θεοῦ quae Christus, tradidisset hominibus; eamque non accepit tantum *cum aliquo modo* (εἰ μέτρος, vel, ut bene de ceteris hominibus loquitur THEODORETVS ad 1 Cor. III, 5, μέτρον τῷ χάριν ἐνοικούμενον) sed uniuersam, ut omnem Dei voluntatem cognitione et ipse completeretur et communicare cum aliis posset, quod Christus alibi c. V, 20 expressit sic: ΠΑΝΤΑ δίδωσιν αὐτῷ ὁ Πατὴρ ἀπό τῶν ποιεῖ. Hactenus ante haec verba cap. III, 30 sq. Ioannes Baptista dixerat:

rat: illum angeli debere, se autem minui h. e. honorem ei ac palam concedere; nam qui, inquit, de caelo venit, omnibus superior est, qui ex terra profectus, terrenus est, nec nisi terrena h. e. vulgaria, obvia, tralatitia v. 12. docet; ille, quae vidit et audiuit, haec profitetur. Est igitur in promtu videre, hunc illis verbis subiectum esse sensum: „Omnes quidem prophetae, qualis ego ipse sum, Spiritum acceperunt Dei (ελάλησαν), inquit Petrus, ὃντο Πνεύματος ἀγίας φέρομενοι), sed cum aliquo tamen modo, ita nimis, ut aliquid tantum eius cognoscerent, quod vellet Deus ad hominum cognitionem traduci. Ipsi autem magno Dei legato Deus plene cognoscendum dedit quidquid doctrinae diuinæ tradendum putauit.“ Hoc est ΠΑΝ το ΠΛΗΡΩΜΑ ΤΗΣ ΘΕΟΤΗΤΟΣ, quod erat in Christo,

Satis quidem haec doceant, in πλήρωμα της θεότητος, quod Christo tribuatur, nihil esse aliud, nisi uniuersam comprehensionem eorum, quae Deus per eum vellet in homines transferre, eamque maxime vera sapientia contineri, quae in voluntate diuina recte cognoscenda omniq[ue] genere virtutis exprimenda cernitur. Sed quamquam his ipsis argumentis, quibus vni sumus, effectum putari potest, ceteras interpretationes alienas esse ab Apostoli sensu, videamus tamen, an quidquam aut quid pro iis dici probabiliter possit, vt, si nihil huius generis repertum fuerit, aut, quod allatum sit, labefactari posse videatur, vel sic fidem sententiae nostrae faciamus. Ac prima quidem interpretatio, quae verba refert ad naturam Dei vere et quasi plene cum Christo communicatam, non ea quidem verbis repugnat, ac posset ferri, si alia nulla consistere cum verbis posset. Nunc nihil omnino habet quo le prae ceteris commenderet, ac ne comparari quidem cum illis potest, cum nec consilium Apostoli orationisque contextus eam requirat, nec Pauli consuetudo unquam το πλήρωμα Θεος de Dei natura dicat, sed alio ubique sensu; vt commenticiam esse eam nec vnu loquendi sacrorum librorum probatam, facile agnoscatur. Altera, quae το πλήρωμα της θεότητος de Ecclesia interpretatur, non noua est, quamquam in vulgaribus commentariis, etiam iis, qui sententiarum varietatem studiosissime collectam continent, non magis quam nostra commemoretur. Eius quidem, tamquam in antiquitate Christiana



frequentatae, veteris Ecclesiae graecae interpretes non modo mentionem fecerunt, sed etiam consensu probarunt suo, id quod THEODORETVS in utrumque locum epistolae ad Colossenses profitetur; eandemque nostra quidem memoria diligentissime ornarunt excellentissimi interpretes GVIL. ABRAH. TELLERVS (Woerterb. des N. T. v. FÜLLE) et IO. CHR. DOEDERLINVS (Institut. Theologi Christiani, Edit. II. Part. prior. p. 331 sq.) nec alienus videtur ab ea κΟΡΠΙVS (N. T. ad Ephes. III, 19. Vol. I. p. 321 et 287 sq. a quorum magna profecto auctoritate cur hic dissentire cogamur, breuiter exponendum videtur. Etsi enim non ignoramus, το πληρωμα de Ecclesia posse dici, idemque vocabulum a Paullo vere ad eam fuisse translatum Ephes. I, 23: nihil tamen, nostro quidem sensu, durius illo loquendi modo, quo πληρωμα κατοικει εν Χριστῳ poneretur pro: omnes Dei ciues incolae sunt templi a Christo instructi, ab eo, tamquam capite, omnes pendent, et per eum sunt in unum coniuncti corpus. Hoc enim deberet esse: ὁ Χριστός κατοικει εν τῷ πληρωματι, Christus habitat in Ecclesia, non, Ecclesia in Christo; ut Deus dicitur in nobis, non nos dicimur in Deo, habitare; *in corpore mortui nullus residet s̄en̄sus*, recte CICERO dixit, sed quis ferret hoc: *nullum mortui corpus residet in sensu?* Huiusmodi catachresin nullius linguae analogia tulerit; itaque doceri-debuisset, non, πληρωμα Paullo de Ecclesia dici, quod nemo neget, sed hanc phrasin vniuersam aut aliam simili modo factam, Pauli esse, nec talem verborum coniunctionem hoc sensu linguae regulis contrariam. Nam quod doctrinissimo cuidam viro excidit, existimanti, neminem forte aliter quam de Ecclesia hanc phrasin interpretatum fuisse, nisi verborum notationi s̄ etymologiae nimis adsueti essent interpretes: nihil id quidem ad nos, qui, πληρωμα de donis, recteque in primis cognitione Dei, accipientes, itemque το κατοικει referentes ad doctrinam diuinam in aliquo residentem, usum loquendi, ipsius etiam Pauli, tenemus, cuius consuetudo isto sensu πληρωμα dicit c. I, 9. Eph. IV, 10, et ενεκεν 2 Tim. I, 5; cum contra secus sentientes nihil ne in analogia quidem linguae habeant, quo doceatur, vel posse phrasin illam sensu, quo comminiscuntur, visurpari. Idcirco se referunt ad similia dicta Pauli, quibus cogatur, πληρωμα aliter quam de Ecclesia intelligi non debere. De quibus dubitare licebit an parallela recte

recte putentur. In omni quidem interpretatione fundamentum  
loco ponendum est hoc, quod sensus vñsi loquendi, certe ana-  
logiae linguae, non repugnet. Sed is, quem vnice hic verum  
est arbitrantur, veremur ut defendi possit contra repugnantiae  
suspicionem; atque haec ipsa suspicio, nisi depellatur, iustam dat  
causam dubitandi de similitudine locorum; quo modo enim verus  
fit sensus atque idem qui in aliis loquendi modis, si ne de eo  
quidem confiterit quod cadere in verba possit? Atque hoc  
ipsum cognoscetur, si quis accurate dicta contulerit Paulli, quae  
huius, de quo quaeritur, phraeos, simillima putent. Nempe  
*πλήρωμα τε Χριστοῦ Θεοῦ Ephes. I, 23, καὶ νὸν ἀνθρώπου (cap. II, 15.) πάνταν τ. σιναρούν (v. 21.), πᾶσαν πατριὰν ἐν ἑρανοῖς κ. ἐπὶ γῆς, haec*  
igitur omnia eadem dicunt esse. Recte hoc quidem. Eadem  
porro aiunt haec quoque esse: 'Εγ γάρ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα  
et πάντα πληρεῖ ἐν πάσον, τὰ πάντα αὐτοκαταλαμβάνειν αὐτῷ (Eph.  
I, 10), πάντα δὲ αὐτῷ κ. εἰς αὐτὸν ἔκπισαι (Col. I, 16). Quod  
quidem sumunt, non probant, aut, si probandum suscepissent,  
haud scimus an non satis probent. Nam primum sensus, quem  
formulae, ἐν Χριστῷ KATOIKEI π. τ. πλήρωμα, de qua quaeritur,  
tribuunt, verendum est ne commenticius sit, cum ab omni lo-  
quendi consuetudine aut analogia, vti diximus, abhorreat; veren-  
dum igitur, ne eos fecellerit verborum quedam similitudo, quae  
non statim rerum, aut uniuersam verborum similitudinem continet.  
Nam omnis comparacionis vis est in verbo πλήρωματος, quod  
esse de Ecclesia Ephes. I, 23. et c. III, 19, eique locos in epistola  
ad Colossenses, quorum sensus sub dubitationem cadit, accom-  
modandos statuunt. Illum ad Ephesios cap. III statim feiungi-  
mus; nec enim ibi necessarius est, quem volunt, sensus, isque  
a nobis, vt videtur, supra satis labefactatus; manet igitur unus  
ille capituli primi locus, de quo dicendum restat.

Nempe πλήρωμα ibi Ecclesiam significat Christianam, sed  
quo sensu, quaque de causa? quaeritur. Volunt autem, πλή-  
ρωμα idem esse atque τὸ πλήρος, quo summo colligunt, id esse vni-  
uersam multitudinem eorum, qui ad Ecclesiam Christi pertinent.  
At exempla omnia, quae solent afferre vt hanc vim τε πλήρες  
τὸ πλήρωμα, afferant, non necessario habent hanc vim, vt supra  
professi sumus, nec potest intelligi, quo modo haec multitudinis,

ac potius *vniuersitatis* significatio existat e verbo conjugato πληρεῖ; omnia quidem exempla, quibus vntur, intelligi possunt de eo, quod contineat aliquid, aut contineatur aliqua re vel locum aliquem occupat, vt πληρωμα τῆς γῆς, πληρώματα τῆς πόλεως, quae terra aut vrbe continentur s. incolae eius, etiam sine copiae aut vniuersitatis notione. Nec videmus, cur haec significatio continendi vel incolendi deserit debeat apud Paulum, qui de πληρώματι θεόντος ipsum verbum κατοικεῖ, *incolere*, adhibet. Est etiam in promtu, τὸ πλήρωμα e coniugatis, quae Paulus ipse addit, hoc est, e πληρωμένῳ τὰ πάντα ἐν πᾶσι explicari debere. Hoc igitur de Christo vel Deo dictum, existimant planissime respondere illi formulae (Ephes. I, 10) εὐαγγελισθεῖσα τὰ πάντα i. e. omnes, et Iudeos et gentes, coniungere et communii imperio complecti. Sed tum quid fiet formula ἐν πᾶσι? quam, sunt, qui propterea redundant arbitrentur; et quid est, quod ad illam formulam capituli primi configuant, eamque sumant eandem cum nostra esse? cum ipse Paulus haec secus interpretetur, quem malum ducem sequi, quam sine causa sumere quod ipsum est disputationi obnoxium. Nam capite quidem IV ad Ephesios versu 10 claris verbis dicit, Christum ΠΛΗΡΩΣΑΙ ΤΑ ΠΑΝΤΑ h. e. vt ipse Paulus significabat v. 8, ΔΟΜΑΤΑ ΔΙΔΟΝΑΙ ΤΟΙΣ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ. Est igitur Christus haecenus πληρωμένος τὰ πάντα ἐν πᾶσι, quatenus omnes Christianos suis donis replet s. sapientia caelesti imbuat, vt Paulus pluribus in locis, quae supra annumerauimus, profitebatur; et verbum πληρωμάτος in illo loco ad Ephes. cap. I. de Ecclesia dicitur, quod ad his donis esset repleta, quasi tu diceres receptaculum illud, in quod omne genus dñorum diuinorum effundit.

Supereft vt attingamus, quid sit in loco Col. II, 9. σωματιῶν, sed paucis; vix enim est quidquam quod nobis in eo explicando clarissimorum interpretum diligentia reliquisset, nec necesse est examinare diuersitatem opinionum quibus alii verbum obscurarunt, quae, confirmato vero sensu, sua sponte collabuntur. Sequamur igitur hic quoque praeuentem Apostolum, qui versu 17. Iudeorum instituta σωμα τῶν μέλλοντων, umbram s. imaginem futurorum appellat, τὸ δὲ ΣΩΜΑ, τὸ Χριστός. Nam similem esse hunc locum ad eumque rectam interpretationem dirigen.

gendam. Paulli consilium docet et orationis contextus; in utroque quidem loco deferri Iudaicas imagines (*τὰ σοργῆα*) et praecpta iubet auctoritatemque vnius Iesu Christi commendat. Sunt autem *σωματά* et *σώμα* disiuncta, plane vt Ebr. X, 1. *σωμα τῶν μελλόντων ἀγαθῶν* et *εἶναι τὰν πλάγματων* h. e. ipsam rem perspicuum, discernit, et genitius *τὸ Χριστός* vim habet declarandi, vt sit pro: *τούτ' εστι ὁ Χριστός*, cuius generis e Thucydide plura exempla collegit B A V E R V S V. Cl. (in Philol. Thucyd. Paullina p. 24 sq.); quem ad modum in loco simili Ioannis, Euang. I, 17 *Χάρις καὶ ἀληθεία, veri nominis beneficium* item a beneficio, quod erat in Mosis lege, disiungitur. Reete igitur *σωματῶν* vertitur *vere, re ipsa*; Iudei nihil in Mosaicis institutis nisi inuolucra tenebant futurorum bonorum, Christus haec ipsa bona vere attulit. In quo iterum obseruari licet significationem eius quod Christus nobis *tribuit* et *donavit*, quam vim dicebamus in *πληρώματι θεότητος* inesse. Nam instituta ista imagines erant *τὰν μελλόντων* sc. *ἀγαθῶν*, in Christo est veluti comprehensio istorum bonorum, *τὸ σώμα*, ipsa illa bona, quorum usuram capere Christiani debebant.

Itaque et nos capiamus horum beneficiorum fructus, inuitati in primis opportunitate horum dierum, quibus eorum memoria per totum fere terrarum orbem inter Christianos celebratur. Vita quidem in coelis futura haec tenus praefat ei, quam degimus in his terris, vt hic *διὰ πίστεως*, ibi *διὰ εἰδήσεως* (2 Cor. V, 7), Dei beatissima consuetudine fruamur. Sed quantum, quidquid ibi nobis paratum est bonorum, magnitudine et praestantia vincit id, quo in huius vitae nostrae exilitate fruimur; tantum eorum, in quae incidimus, temporum felicitas praefat conditioni eorum, qui ante Christi tempora vixerunt, qui quidem sperando magis quam fruendo delibauerunt caelestis illius vitae suavitatem. Nobis autem Christus omnes sapientiae diuinæ fontes reclusit, Deum vere tamquam Patrem omnium eumque etiam non merentibus propitium ostendit, certiorem spem vitae immortalis fecit, veras virtutis non adumbratam imaginem sed expensem in se ipso signum exhibuit, hoc ipso exemplo suo et disciplinae excellentia virtutem amabilem reddidit, atque nos sic ad felicitatis, quae coeli propria est, usuram proprius adduxit.

Vtinam



Vtinam, qui verae sapientiae in primis studiosos et custodes nos profitemur, hanc etiam magis ceteris et amplectemur et commendaremus, nunc quidem et per hos dies diligenti commentatione beneficiorum, quae nobis per Christum contigerunt, ac pieratis in eum verissimo exemplo. Quod ut Vos quoque, **HUMANISSIMI COMMILITONES**, faciatis, etiam atque etiam hortamur. P. P. in Academia Fridericiana die XXIV Decembris A. C. MDCCLXXXVI.




Halle, Diss., 1786/87



Sb.

vdB





ACADEMIAE FRIDERICIANAE PRORECTOR  
1  
IO. AVGVSTVS EBERHARD

PHILOSOPHIAE PROFESSOR PVBL. ORDINARIVS

ET

SOCIETATI REGIAE BEROLINENSI LITERARIAE ADSCRIPTVS  
CVM CANCELLARIO, DIRECTORE  
ET SENATV ACADEMIAE  
SANCTE CELEBRANDAM INDICIT  
MEMORIAM ADVENTVS CHRISTI IN TERRARVM ORB

PRAEMISSA EST  
COMMENTATIO  
IN ILLVD PAVLLI COL. I, 19 ET II,  
ΤΟ ΠΛΗΡΩΜΑ ΤΗΣ ΘΕΟΤΗΤΟΣ ΚΑΤΟΙΚΗΣΑΙ  
ΕΝ ΧΡΙΣΤΩΙ ΣΩΜΑΤΙΚΩΣ.

HALAE,  
FORMIS IO. CHR. HENDELII  
A. M D C C L X X X V I .

